



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio XVIII. In Titulum XVIII. Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](#)



## QUÆSTIO XVIII.

In Titulum XVIII. Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

1484.



Ostquam expositum est, qualiter matrimonium contrahatur, vel contrahendum impediatur, denuntiatione mirum aliquo impedimento inter eos existente (quæ denuntiatione propriè Canonica est) nunc agendum est, qualiter contractum separetur per divorcium, vel quoad ipsum conjugale vinculum, vel saltem quoad thorum, & cohabitatem. Quia verò hæc separatio fieri non potest, nisi constet de sufficienti causa divertendi, præmititur titulus de his, qui sunt idonei accusatores de existente causa separationis; & hujus existentia legitimi testes.

### ARTICULUS I.

*An quilibet matrimonium accusare possit?*

1485.

Ante responcionem nota, variè fieri posse, quod quis agat contra matrimonium. 1. ne contrahatur. 2. ut contractum dissolvatur solum quoad thorum, aut etiam quoad vinculum; illud, si tantum est ratum, solvendo; vel si est nullum, nullitatem declarando, & conuges ab invicem separando. 3. etiam dicendo, nunquam esse contractum; his præmissis:

1486.

Dubium 1. an quis propter turpem quæstum sit inhabilis accusator matrimonii? Resp. affirmativè ex c. significante. s. b. t. ubi Mater, ut à Sponso filie pecuniam extorqueret, contra matrimonium eorum jam contractum opponere volens impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis inter eos, re compertâ, ab ea accusacione repellebatur, quia, ut ibi loquitur Cœlestinus III. malitia hominum non est indulgendum. Et hoc universaliter proce-

dit de quovis tali accusatore, ut notat Gloss. ibid. V. Repellentes. Nam jus accusandi, vel denuntiandi, à jure conceatum, non intendit favere pravis hominum intentionibus; ex quo sequitur, tales repellendos, sive denuntiant impeditum contra matrimonium contrahendum, ut impediatur; sive contra contractum, ut separetur: sive quod non situllo modo contractum.

Dubium 2. an sit inhabilis accusator matrimonii, qui, cum fierent denuntiations, sciens impedimentum, non denuntiavit? Resp. affirmativè, nisi probet justum fuisse silentium pro eo tempore. Sic habetur in c. Cum intua, fin. b. t. ubi dicitur, non esse audiendum, qui matrimonium jam factum, de nullitate accusat, si in tempore denuntiationum impedimentum sciens, non manifestavit; additâ tamen limitatione, nisi probet, vel ignorantiam, vel iustum silentium. Ex quo colliges, præsumi scientiam eorum, quæ publicè facta sunt, adèò, ut allegant ignorantiam, incumbat probatio, ut notat Mascardus de Probation. conclus. 110 num. 6. Nec sufficere probationem cuiuscumque ignorantiae. Crassa enim, & supina non excusat per hunc textum, ut notat Costa de facti scientia, & ignorantia D. 73. à num. 7. probatur tamen hic ignorantia impedimenti tempore denuntiationum, 1. si quis probet se tunc, dum siebant, fuisse extra diæcsum, ut patet ex text. c. fin. Nam absens præsumitur non scire, quæ facta sunt in civitate, ut ait Mascard. cit. conclus. 295. num. 7. licet absentia, cum sit facti, non præsumatur sed probari debeat. Secundò si probet se tunc non potuisse habere notitiam impedimenti v. g. propter infirmitatem adèò gravem, ut sui compos non fuerit. Tales

enim

enim præsumuntur ignorare etiam ea, quæ sunt publicè, aut in vicinia, etiam iner confanguineos, & affines, & à for-  
tiori alia impedimenta matrimonii, ut docet Mascardus cit. num. 10. & alii; idem est, si probet, se tunc non fuisse in æta-  
te, quæ capax erat intelligere, quod es-  
set impedimentum, aut foret denun-  
tiandum.

1488. Dubium 3. an ignorantia impedi-  
menti, juramento probetur? Resp. Cùm  
sit communis regula, ea, quæ in animo  
consint, juramento probari, ut tenet  
Mascardus de Probat. Conclus. 638. à num. 1.  
& conclus. 881. aliisque: recte sequi igno-  
rantiam quoque impedimenti ab eo, qui  
eam allegat, probari juramento, ut ha-  
beatur in cit. c. fin. b. t. ibi: nisi proprio fir-  
maverit juramento, quod postea didicerit  
ia, quæ objicerit; & ad hoc ex malitia  
non procedat. Ex hoc autem textu sequi-  
tur, non sufficere juramentum, utcunquè,  
quod tunc non sciverit; sed requiri, quod  
juret, se primò postea intellexisse, & nunc  
non manifestet ex malitia. Videlur ta-  
men quoad primum etiam sufficere, si  
juret, se nunc primum intellexisse, quod  
talis circumstantia valori matrimonii ob-  
ster, quam quidem ante scivit, sed di-  
cimentem esse ignoravit, ætatis v. g. im-  
becillitate.

1489. Præter hoc not. ab Authoribus ex  
hoc c. ibi: nisi proprio firmaverit juramen-  
to, colligi, quod impedimentum possit  
proprio juramento probari; mihi tamen  
videtur, id ex hoc textu non posse colligi.  
Nam ibi, ubi per ea verba (nisi proprio fir-  
maverit juramento) solum dicitur, homi-  
num, qui post contractum matrimonium  
opponti impedimentum, quod, dum  
fierent denuntiationes, non manifestavit,  
non esse audiendum, nisi probet, se tunc  
necivisse, aut proprio juramento firmet,  
se primò postea didicisse ab aliis, & nunc  
non ex malitia opponere; ergo hic juram-  
entum, non impedimentum, sed ejus  
ignorantiam probat.

1490. Ceterum in c. Ex literis. 4. de in-  
tegr. refit. ut notat Panormit. ibid. num. 4.  
juramento negatur sufficiens probatio.  
Cùm enim quidam Pater pueræ depositus,  
dicens, se fraude inductum, quod die à  
Judice præfixa non comparuerit, expressè  
dicit Pontifex, per illud, de fraude, ad  
plenum, non constare; item c. Lict. 23. de  
Testibus, dicitur, non esse licitum, cauſe  
sue, unius tantum testimonio, finem im-  
ponere. Et ad hunc finem (juramento  
scilicet non semper elidi præsumptiones  
in contrarium) adducitur etiam c. Cupien-  
tes. §. quod si per viginti. de Elect. in 6.  
exinde concludentibus Doctoribus, non  
semper id, quod probandum est, sufficien-  
ter firmari juriamento.

Pro conciliatione igitur c. fin. quo 1491.  
juramento sufficenter probari dicitur  
ignorantia impedimenti, & aliorum in  
contrarium, notandum, in casu, quo de  
aliquo sunt præsumptiones, & opposi-  
tum probari juramento intenditur, spe-  
cificare ad Judicis arbitrium, hoc est pru-  
dens, & maturum consilium, considera-  
tâ præsumptionum qualitate, ac vi, sta-  
tuere, an ad eas elidendas sufficiat, vel  
non sufficiat juramentum? Nam præsump-  
tio non semper excluditur per juramen-  
tum. Sic Panormit. cit. num. 9. contra  
Gloss. in cit. c. fin. b. t. V. Juramento, vo-  
lente indefinitè, presumptionem juris, ju-  
ramento elidi. Ratio est. 1. ex cit. c. 4. de  
in integr. refit. de quo n. priori; 2. quando  
præsumptio est vehemens, & urgens, ei  
excludendæ non sufficit juramentum, ex  
c. Vidua. 4. de Regul. ubi juramento vidua,  
etiam juranti, quod sibi velum imposuerit co-  
animō, ut deponere posset, non creditur,  
propter præsumptionem in contrarium,  
nimis tacita professionis ex hoc, quod  
spontē velum, quamvis non sacrum, sibi  
imposuerit, & in Ecclesia inter Moniales  
oblationem obtulerit. Econtra, quando  
præsumptio non est vehemens, & urgens,  
admittitur, & probat contra eam ju-  
ramentum, ut in hoc c. fin. & in c. Nulli, de  
Elect. in 6. ubi Electores admittuntur ad  
opponendum contra electum, si jurave-  
rint, quod objiciant, quæ primò postea  
dicserunt.

Difficultas adhuc est, quomodo au- 1492.  
diatur de impedimento accusans matri-  
monium contractum, si juramento pro-  
batur, se impedimentum primò postea di-  
dicisse ab aliis, qui, quia tempore denun-  
tiationum siluerunt, non audirentur  
Respondet Pontifex, inter hunc, & illos  
discrimen esse; quia iste non est culpa-  
bilis

bilis ex priori silentio, elisâ per juramento præsumptione de scientia tempore denuntiationum, id, quod pro illis non militat. Ex hoc colliges, accusatorem admitti ad accusandum impedimentum, licet ejus auctor, à quo id audivit, ab accusando repellatur. Constat ex cit. c. fin. ibi: etiam si didicisset ab illis, qui tempore denuntiationis siluerunt, non debet ei claudi, seu negari aditus ad accusandum, et si illi ab accusando repellendi forent. Et quamvis testis repellatur à ferendo testimonio, si ejus auctor repellatur c. Licet universis. 47. de Testibus: non tamen idem est de accusatore. Nam testis de auditu fundat suam depositionem in verbo ejus, ex quo audivit; accusator autem non in ejus verbo, à quo didicit, sed in aliis probatio-  
nibus.

**1493.** Dubium 4. quis possit accusare matrimonium, ne contrahatur? ante resolutum supponi si matrimonio contrahendo opponatur impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, quod est certum de jure, & facto, propriâ autoritate Sponsos, etiam nullo alio accusante, vel denuntiante, posse solvere Sponsalia ex dict. à num. 225. Qualiter autem matrimonium contrahendum impediatur, vel ad tempus, vel in perpetuum, denuntiato aliquo impedimento inter Sponsos, dictum esse primò à num. 330. & sequentibus; his præmissis:

**1494.** Resp. quando agitur de impedimento consanguinitatis, primò omnium admitti parentes; tum proximiores cognatos; ac demum, post illos, etiam extraneos maturiores, vel Seniores, quibus magis nota consanguinitas creditur, ut dicitur c. 35. q. 6. c. 1. & 2. quod etiam observandum est, cùm agitur de matrimonio contracto, quoad conjugale vinculum separando. Ex his enim maximè constare potest ea conjunctio. Textus in dicto c. 1. statuente Fabiano Papâ sic habet: *Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet: sed propinquos, ad quorum notitiam pertinet, id est, pater, mater, frater, soror, parruus, avunculus, amita, materterta, & eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, & veracioribus, quibus eadem propinquitas nota sit, Episco-*

*pus canonice perquirat: & si inventa fuit propinquitas, separetur. & c. 2. ibi: Quod autem parentes, fratres, & cognati utriusq[ue] sexus in testificationem suorum ad matrimonium conjungendum, vel dirimentum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbat. Ideo enim maximè parentes, & si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quem uniusquisque suam genealogiam, & cum testibus, & chartis, tum etiam ex recitatione majorum scire laborat. Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt: & quorum est interesse, ita ut, si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium. Quod vero legitur (pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris) in criminalibus causis, & contraictibus verum est: in matrimonio vero conjungendo, & disjungendo ex ipsius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res est, congrue reperiuntur.*

Not. tamen, etiam aliis, modo alterius titulo ab accusando non repellantur, licet re denuntiationem canonican impedimenti matrimonii contrahendi; hoc enim fine publicè fieri debent in Ecclesiis trina denuntiationes Sponsorum contrahere volentium, ut notavimus supr. Qualiter autem probari debeat, dictum est num. 329.

Dubium 5. quis matrimonium accusare possit, ut conjugale vinculum separetur? Resp. in casu, quo accusatur matrimonium ad separationem vinculi conjugalis ex impedimento consanguinitatis vel affinitatis, eos admitti, de quibus dictum est num. 1494. ubi tamen nota 1. si agatur de aliis impedimentis, quæ ipsi Sponsi removere possunt, ut est Servitus error, defectus consensus, nullum admitti, nisi ipsos conjuges. Alius enim eludi facile posset, opponendo illi, voluntatem liberam conjugum, quâ impedimentum illud removerent; quod videatur limitandum, ut non procedat, si probari posset, quod de industria impedi maneat, & in irrito matrimonii statu cùm libuerit, rescindendo, impedimenti accusatione.

Not. 2. cùm agitur de impedimento ex impotencia perpetua vel absoluña, vel reſettiva, nullum, præter ipſos conjuget, ad matrimonium accusandum admitti; cùm eſto non ſint veri conjuget ex dicto titulo, ſimil tamen ſervatā continentia, permanere de induſto Eccleſia, poſſint, ut Frater & Soror juxta dicta tit. 15. Cæterū qui ſcientes, & taentē matrimonium contraxerunt invalidē, non ſunt contra ipſum ulterius audiendi c. 1. b. t.

Dubium 6. quis matrimonium accusare poſſit ad separationem thori? Resp. cùd hoc interſit ſoliſ innocentis, non admitti ad accusandum alios, quām ipſos conjuget. Quoniam autem ius accusandi separationem thori, fieri poſteſt vel ob adulterium, vel ſaviciam alterius; noſtandum, quōd innocentis agere poſſit contra alterum vel ſolū civiliter ad separationem thori; & reſtitutionem dotti; vel etiam criminaliter, ad vindictam publicam, & ſanguinis effuſionem. Ultraque actio convenit viro in cauſa adulterii contra Uxorem; huic autem, contra virum, adulteriuſ, ſola ciuilis. L. 2. C. ad legem Juliam de adulteriis. Nam delictum Uxor adulteræ, gravius eſt ob prolis incertitudinem, & alieni partū ſuſpoſitionem.

Circa quod not. Maritum, agentem contra Uxorem adulteram, admitti ad eam accusandam, etiam præ Patre adulteræ, quia (ut ait textus) propenſore ira, & majori dolore executuram eſſe accusacionem credendum eſt; quod verum eſt, licet pater eius Maritum preventerit, niſi Pa-ter doceat maritum infamem, & vel po- tius colludere cum Uxore L. nif. 3. ff. cod. junct. Glosſ. V. infamem: ſi autem mari- tuſ nolit Uxorem adulteram accusare, admitti ad accusandum Patrem adulteræ, cit. L. 2. cum ſeq. poſt eum autem cete- ros cognatos, quoſ justus dolor ad accuſandum impellit, L. quamvis. 30. C. ad Leg. Jul. de adulter. Extranei demum, licet jure mariti eam accusare non poſſint, L. ſi veritas. 4. ff. cod. junct. Glosſ. V. qui accuſare. & L. Jure. 6. C. cod. non tamen omni- no excluduntur, & admittuntur in caſu, quo perſonæ coniunctæ, & quaſ necessa- riae extant, accusare recuſant, ut habetur in cit. L. quamvis.

Tom. IV.

Sed quæres. 1. an, eti Uxor inno- 1498. cens, non poſſit maritum adulterum ac- culare criminaliter ſpectato iure ciuili; poſſit tamen de Jure Canonico? Resp. poſſe etiam ad infligendam penam legalem, non tamen ſolere, ut notatur in c. fin. 32. q. 5. ubi Papa Innocentius ad Exuperium Episcopum reſcribens, Christiana, in- quirit, Religio adulterium in utroq; ſexu parti ratione condemnat. Sed Viros ſuos mu- lieres non facilē de adulterio accuſant, & non habent latenta peccata vindictam. Viri autem liberius Uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt: & ideo mulieribus, prodiſ earum criminis, com- munio denegatur: Virorum autem la- tenti commiſſio non facilē quisquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſub- movebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cū ergo par cauſa ſit, interdum proba- tionē ceſtante, vindicta ratio conqüieſcit. Hinc Vir & Uxor, in adulterio depre- hensi, non judicantur ad imparia, tam quoad debitum reddendū, quām di- vorcium, & accusationem, teſte Farina- cio in Praxi cirimin. pag. 5. qu. 141. num. 105. cū in cit. c. fin. adulterium in uero- que jure Canonum dannatum ſit.

Quæres. 2. an Viro criminaliter ac- 1499. cusante Uxorem adulteram, admittatur exceptio contra Virum, tanquam pari- tate adulterii Reum? Negat Sanchez. lib. 10. matrimon. D. 8. num. 34. quia Vir, & mulier in hac accuſatione non gaudene pari jure; quod de jure ciuili recte dici- tur; de jure autem Canonico ex n. priori, ſecū eſt. Conceditur tamen Uxori, etiam de jure ciuili, contra Virum adulterum, actio non tantum ciuilis ad diuortium, & tam dotem, quām donationem propter nuptias repetendam; ſed etiam injuria- rum, non quidem ad penam legis Julia, ſed ob læſum graviter à Viro ius matrimo- nii; ſic Farinacius cit. num. 106. Plura de his infra; & Tit. 16. de adulter. l. 5.

## ARTICULUS II.

*Qui contra matrimonium teſtificari poſſint?*

Si quæſtio fiat de matrimonio ſolū 1500. contrahendo, ſeu ne contrahatur impe- diendo, jam dictum eſt à num. 329. ſi autem

Bbb

autem quæratur de jam contracto & propter impedimentum dirimens, separando? Resp. omnes, qui matrimonium jam contractum accusare possunt, admitti etiam ad testificandum contra illud, seu deponendo de existente impedimento, modò aliis non sint testes, iureinhabiles, ut si essent pecunia inducti &c. c. Videtur. 3. b. t. ubi Clemens III, ad Florentinum Episcopum, videtur nobis, inquit, quid parentes, fratres, & cognati utriusque sexus, in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum, admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes (Et si defuerint parentes) proximiores admittuntur: quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus & chartis; tum ex recitatione majorum, scire laborat; qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciant, & quorum est interesse: ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium.

1501. Et quamvis Pater in causa filii, vel econtra (intellige in causis criminalibus, & aliis contractibus, ut dicitur in cit. c.) regulariter non sit idoneus testis. c. Si Testes. 3. §. Testis idoneus. 4. q. 3. & L. Testis. g. ff. de Testibus; scilicet tamen est in causa matrimoniali; excipe tamen, nisi Sponsus Sponsam divitii, vel genere multum superaret, & Pater in favorem filii testaretur contra matrimonium, vel vice versa; quia tunc ejus testimonium est suspectum. Ex hoc Colliges, quod in causa matrimoniali idem possit esse accusator, & testis c. si duo. 4. c. de parentela. 5. c. Episcopus. 7. 35. q. 6. quod etiam procedit in causa consanguinitatis, si scilicet prius impedimentum consanguinitatis non accuset; sed, solum denuntiet. c. Cùm in tua 27. de sponsal. c. In omni. 4. de Testibus.

1502. Quæstio præterea est. 1. an in causa matrimoniali, etiam lite non contestata, testes recipi, & sententia ferri possit, altero absente? Resp. licet regulariter testes super causa principali, lite non contestata recipi non possint; tamen, si agatur de valore matrimonii, contra reum contumaciter absentem, etiam lite non conte-

statâ, testes recipi, & sententiam ferri debere c. 1. b. t. ibi: Si manifestum est, quod afferitur de impedimento ex catechismo, (ut notat Gonzalez ibid. V. Christianitem) vel potius ex cognatione spirituali (ut patet ex eo verbo, levavit) quæ contra matrimonium jam contractum accusata fuit) aut legitimi accusatores, & testes apparent omni exceptione majores, possumus Juvenis requisitus fuerit cum omnibus diligentia, etiam nequiverit inveniri, nec ipse testes poteris, & fine canonico judicium terminare.

Quæstio est 2. an accusatio, vel testificatio contra matrimonium contractum, fieri possit per absentes? Resp. quod in c. fin. 2. q. 8. dicatur, per scripta nullius accusationem suscipi; sed fieri debere, propriâ voce, præsente eo, quem accusare desiderat; ne scilicet detur occasio, scilicet calumniandi. Idem est de Testibus c. Testes. 15. 3. q. 9. Cùm non sit testimoniis, sed Testibus credendum. p. Tuas. 3. de Cobabit. Cleric. & mulier. Idem igitur etiam in causa matrimoniali servandum erit. Pirthing. b. t. n. 11. excipe, nisi alibi sit aliud privilegium, vel consueudo, ut notat Gail. lib. 1. observ. 101. à num. ij. & alii Doctores apud Barb. hic n. 2.

Quæstio est 3. an puella innubilis, quæ invita contraxit, sed facta nubilis, matrimonium sponte consummatum, diri debeat, accusatura matrimonium contractum de nullitate? quæstio haec propontitur in c. Insuper 4. b. t. ubi deciduntur, non audiendam, licet matrimonium prius defectu ætatis, vel causâ metus, fuerit nullum, si adeptâ ætate jure requisita, non reclamando, sponte admisit copulam; quod etiam procedit de metu. Nam per consensum supervenientem purgatur metus, & legitimum consensum superveniente, sponte admisit copulâ, dum reclamare potuit; à jure præsumitur, & creditur, ut dicitur in hoc c. & tum c. Ad id, tum c. Veniens. de sponsal. quod eriam nunc procedere videtur, quando præsumptio versatur circa solam purgationem metus, vel remissionem conditionis, ut notavi sup. de matr. præsumpto à. n. 473. secus, si circa consensum.

ART.

## ARTICULUS III.

*Quis in causis matrimonialibus sit  
Judex competens?*

Quæstio 1. est, quis sit Judex competens, quando in causa matrimoniali oritur quæstio juris super ejus *valorem*? lictio contractu? dissolutione? firmitate? Resp. quod solus *Judex Ecclesiasticus*. 1. quia in Trid. *Seff. 24. de matrimonio. can. fin.* expressè dicitur: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* 2. *Laicus nulla est de spiritualibus disponendi facultas.* c. *Tua. i. de Decimis:* cause autem matrimoniales (in quantum concernunt valorem, firmitatem, lictum contractum, conjugii, vel dissolutionem) spirituales sunt; matrimonium enim fidelium est Sacramentum; consequenter ex quæstiōnē (an matrimonium sit lictum, validum, firmum, aut dissolvendum?) attingunt ipsum Sacramentum: ergo. Nec valeat ea distinctio, quā dicunt, matrimonium est quidem spirituale, in quantum est sacramentum, concedi; in quantum est contractus mere civilis, negari. Hinc, licet concedant, Laicos nihil posse disponere circa matrimonium, in quantum est sacramentum; negant, eos nihil posse circa illud, in quantum est contractus mere civilis. Hæc, inquam, distinctio non valeat.

Nam aliud est, quod matrimonium, sit contractus civilis, manens contractus mere civilis; aliud, quod sit contractus civilis, non manens contractus mere civilis, sed evadens contractus sacramentalis, ex institutione Christi. Sic materia Sacramentorum, & aliarum rerum Sacratum, in multis est res temporalis, corporea, & mere materialis secundum se; tamen actione confectionis, forme sacramentalis, unctionis, benedictionis, per potestatem Ecclesiasticam ordinatae ad finem supernaturalem sic evadunt spirituales, ut sint extra omnem potestatem Laicorum, imò nec possideri ab eis possint, ut diximus alibi, & fert communis, etiam ipsorum, confessione; quia scilicet facta tali accessione non amplius manent mere temporales: Ergo.

Tom. IV.

Ex hoc colliges, falsum esse hoc in- 1507, definitum pronuntiatum laicorum, qui dicunt: *res istæ sunt res temporales;* ergo subsunt dispositioni Laicorum, quorum est disponere de temporalibus; sicut Ecclesiasticum, de spiritualibus. Nam sic, indefinitè sumptum, est certò falsum; alias possent etiam directè disponere, de multis Sacramentis, quorum materia ex se, & antecedenter ad formam Sacramentalē est res temporalis, quod tamen omnino falsum est, in casu, quod jam subsist rationi Sacramenti; quia tunc non amplius manet purè temporalis; at hoc procedit de qualibet re temporali, qua annexivè est spiritualis; ergo. Niisi ergo limitent ad purè temporalia, nec extendant ad annexivè spiritualia, omnino falsum est ejusmodi pronuntiatum indefinitum.

Not. autem, hic per *Judicem Ecclesiasticum*, intelligi Episcopum &c. & accessitibus. 12. de Excessibus Prelatis. Harum causarum cognitio delegari potest etiam Inferioribus Prælatis. *Covarr. in. q. decretal. p. 2. c. 8. §. 12. num. 1.* & ex privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta, etiam aliis, quam Episcopis, sed solis Ecclesiasticis. Trident. *Seff. 24. c. 12.* quod tamen sic accipe, ut hæ causæ non possint compromitti in arbitrum, vel arbitrariem Laicū, aut ab arbitrī laicis (etiam incidenter ex *num. 1470.*) decidī, vel transactione definiti; ut rectè notat *Covarr. in. 4. p. 2. c. 8. §. 12. à n. 8.* quia jus cognoscendi, & terminandi has causas est jus spirituale, consequenter jurisdictionis tantum Ecclesiasticae. Illud hic adde, Vicarium generalem Episcopi constitutum, (sine commissione speciali) non posse causas matrimoniales cognoscere, aut tractare, ut notat *Barbos. p. 3. de Potestate Episcopi*, allegat. *54. n. 94.*

Quæstio 2. est, an *Judex Laicus* in 1509, causis matrimonialibus sit competens, quando agitur de pura quæstione facti? ut si agitur de punitione adulterii, incestus, allorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii? Resp. cum ejusmodi delicta sine mixta fori, dari locum præventioni; adeoque cognoscere poterit, qui prævenierit, sive Ecclesiasticus, sive secularis. Similiter si sit quæstio

Bbb 2

soluta

solum defacto, an matrimonium sit contractum, vel an sit contractum in facie Ecclesiae, vel clam? Judex Secularis de illa cognoscere poterit; excipe, nisi questio facti resolvatur in questionem juris, ita ut quæstio sit de sensu Canonis, seu legis Ecclesiastice, quid sit matrimonium clandestinum &c. Sic Tannerus Tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 9. à n. 166. & alii.

**1510.** Quæstio est 3. an Judex Laicus in causis matrimonialibus sit competens, quando agitur de successione, seu hæreditate? Resp. affirmativè. Nam istæ sunt causæ mèrè temporales, si de illis præcisè agatur: Nam si de illis morta quæstio penderet à quæstione incidente de iustis natalibus? ex dictis supr. constat, quid in hoc casu sit resolvendum? Ratio sumitur ex c. Lator. 5. Qui filii sint legitimi, ibi: si verò intra duos menses presfatus H. non poterit probare legitimè, quod objectit, extunc seculari domino, sub cuius judicio de hæreditate causa veritius, intimetis: ut pro quæstione nativitatibus non dimitiat, quin causam super hæreditatem audiat, & decidat, & c. Causam. 7. eod. ibi: nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiæ de talibus possessionibus judicare, ne videamus juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsorum judicium ad se asservi pertinere. Fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionibus judicium relinquentes, de causa principali videlicet; utrum autem Mater predicti R. de legièrmo sit matrimonio nata? plenius cognoscatis, & causam hujusmodi terminetis; licet incongruum videatur, ut matrimonium genitricis præfati R. imperatur, quod eā vivente non fuit (ut dicitur) impeditum.

**1511.** Quæstio est 4. quis sit Judex competens in lite de divorcio? Resp. 1. si agatur civiliter de divorcio quoad separationem vinculi conjugalis, competentem esse solum Judicem Ecclesiasticum. Ratio est ex num. 1505. Nam sic agitur de valore matrimonii, & causa canonica nullitatem declarandi; ut constat ex c. Porro 13. de divorciis, quod adeò verum est, ut etiam si impedimentum dirimens (v.g. parentela) esset publicum & notoriū, abs judicio Ecclesie, Vir ab Uxore, vel econtra, separari non possit. Textus

c. Porro, sic habet: porro de comite Pontini, qui B. Uxorem suam, abs judicio Ecclesie dimisit, quia eam cognatam fuisse Uxor is defunctæ proponit, prudenter tua cognoscat; quod, si etiam parentela esset publica & notoria, abs judicio Ecclesie, ab ea separari non potuit: quare ipsum ad eam recipiendam, quæ petit restitucionem ipsius, districte compellas; quam si recipere noluerit, eum, & superinductam, vinculo excommunicationis adstringas. Præterea de H. qui cognatam suam duxit Uxorem: respondemus, quod non aparentibus accusatoribus de parentela manifesta seu publica existente (quod credibile non est, nisi essent in primo gradu, vel secundo) tui officii interest matrimonia illa adhibita gravitate dissolvere, que illicitè contracta noscuntur.

Et ideo Judex Laicus, autoritate sua citans, vel examinans causam matrimonii, & separans ejusmodi conjuges, incurrit excommunicationem 17. in bulla Cænæ Domini, latam contra eos, qui usurpant jurisdictionem ratione benefici Ecclesiastici, extensam ad omnem usurpationem jurisdictionis Episcopalis, quæ talis, ut notat Filiuci tr. 13. c. 8. n. 213. Castropal. p. ult. d. 3. p. 18. & alii. Usurpare enim jurisdictionem alienam, est, il lam sine justo titulo sibi appropriare, exercendo illius actus, vel de objecto ejus proprio disponere. c. penult. 14. qu. 5. at jurisdictione, & potestas dirimenti matrimonia invalida, est jurisdictione propria Episcopi quæ talis, ex num. 1505. ergo. Et quoniam actus citandi, & juridice remittandi ad cognoscendum de impedimento matrimonii contracti, aut contrahendi, quod accusatur, vel denunciatur, sunt quoddam initium judicij super valorem matrimonii, probato impedimento disolvendi, si contractum est; vel impediendo, si de contrahendo agitur, ut constat ex c. final. Instit. de poen. temp. litig. ac Andr. Gail. lib. 1. obseruat. 43. num. 1. ejusmodi actus à laicis in hac causa exerciti æquè, ac ipsum judicium cadit sub eam poenam.

Quæstio est 5. an Laicus sit competens in causa divorciis quoad solam separationem à thoro, & cohabitatione? Resp. vel queritur, an causa (propter quam inten-

intentatur lis divorci) sit sufficiens ad deobligandum innocentem ab obligatio-  
ne thor? vel, an ea causa data sit, & exi-  
stat? si secundum? cum sit mera quæstio  
facti, constat ex dictis; si primum? con-  
stat à num. 1505. Nam hæc obligatio  
nascitur ex contractu sacramentali, cuius  
cognitio tam quoad vinculum contrahen-  
dum, vel contractum, quam dissolven-  
dum, est annexa jurisdictioni Sacrae.

1514 Quæstio est 6. quis sit Judex com-  
petens, quando agitur de amittenda  
dote, vel præstandis alimentis in casu di-  
vortii? Resp. considerandum, an lis sit  
principaliter de dote vel alimentis, aut  
solum accessoriis? si secundum? de iis ju-  
dicatis, ad quæ pertinet causa principali,  
ut constat ex c. Prudentiam, de offic.  
Episcop. Jud. deleg. Explorati enim juris  
est, ut quibus principale committitur,  
& accessoriis committitur. Et ideo  
Clemens III. in c. de Prudentia. 3. de dona-  
tion. inter Virum & Uxorem, aperte dixit:  
Vos, qui principaliter de matrimonio cogno-  
scitis, & de dote (qua est quid accessori-  
um seu consequens) accessoriis cognoscere valvis, ubi Gloss. V. Accessoriis, in-  
definitè ait: qui cognoscit de principali, co-  
gnoscere debet de accessorio.

Dixi, quando non principaliter agi- 1515.  
tur de dote, posse de illa cognoscere illum,  
qui de principali de jure cognoscit, si quæ-  
stio est solum accessoria, & quid conse-  
quens; non autem si sit incidentis juxta  
num. 1465. & seqq. nam etsi, quando  
principaliter apud Judicem Laicum mo-  
vetur quæstio hæreditatis, & incidit quæ-  
stio de justis natalibus, quorum opposi-  
tione quis in causa principali inquietatur,  
Judex Laicus, nec incidenter de hoc co-  
gnoscere potest ex num. 1470. tamen, si  
principaliter de illa agitur, vel solum in  
quæstione emergente, probabilius est, co-  
gnitionem illius cause, pertinere ad tri-  
bunal Laicum; ita Sanchez lib. 10. hic D. 8.  
num. 19. Quia sic dicitur, & alimenta con-  
siderantur solum, ut debita ratione con-  
tractus, sine ordine ad rationem Sacra-  
menti; aut alio titulo mercè civili. Et ideo  
in casu, quo Uxor repetit dorem à Viro,  
vel saltem cautionem propter periculum  
eam amittendi, Viro ad egestatem incli-  
nante virtus suo, aut simili periculo, in tri-  
bunali Laico ea quæstio agenda est; quia  
fundatur in titulo mercè natu-  
rali, & civili.

( ) ( ) ( )

## QUÆSTIO XIX.

### In Titulum XIX. De divorciis.

**N**on agimus hic de variis di-  
vorticiorum generibus olim  
apud Romanos, videndis  
apud Gonzalez in c. t. b. t. 1.  
num. 11. Nam alia diceban-  
tur divorcia ex bona gratia, nimirum mu-  
tuo consenu, vel propter Sacerdotium, aut  
Monachatum suscepimus; propter sterili-  
tatem, invaleitudinem, impotentiam,  
militiam &c. alia ex falso, quæ scilicet  
non erant divorcia vera, sed simulata, ex  
causa dissensionis non perpetuae, manente  
nimirum conjugii vinculo; sed his præ-  
termisssis:

1516. Divortium, ut docet Sylvest. V. eodem,  
est Viri ab Uxore vel Uxoris à Viro legitim-

ma separatio, nimirum non facta sine lege;  
vel ratione. Apud Theologos, & Juris-  
peritos, duplex est. 1. prout importat  
dissolutionem matrimonii quoad thorum,  
& cobitationem, remanente ligamine,  
seu vinculo conjugali. 2. prout impor-  
tat dissolutionem etiam quoad vinculum.  
Et tunc matrimonium cessat in totum,  
ad eo, ut quilibet eorum possit, si aliunde  
impeditus non sit, transire ad aliud ma-  
trimonium. Verum in hoc secundo ca-  
su, quando matrimonium solvitur propter  
impedimentum dirimens, non est tam ab-  
lato vinculi (cum matrimonium jure  
nullum fuerit) quam declaratio nulli-  
tatis.

Bbb 3

Not.